

Publicationis
pensionis ubi
que in Gallia
mandat

bus poenitentia salutari, aliisque eiusdem
Confessarii arbitrio injungendis. Quocir-
ca tenore presentium in virtute sancte obe-
dientie districte precipimus, atque man-
damus omnibus, & quibuscumque Ven.
Fratribus Archiepiscopis, Episcopis, &
aliis Ecclesiarum Prælati, ac quibuscum-
que Ordinariis locorum in præfatis Gallia-
rum Regno, ac Provinciis, & Ditionibus
existentibus, eorumque Vicariis, & Officiali-
bus, vel iis deficientibus, illis, qui cum
curam animarum exercent, & cum præsen-
tium litterarum transumpta, aut exempla
etiam impressa acceperint, illa statim ab-
que ulla mora, retardatione, vel impedi-
mento per suas Ecclesias, & Dioeceses,
& Loca publicent, & publicari faciant, Ec-
clesiamque, seu Ecclesias visitandas desig-
nent, ac ipsi Archiepiscopi, Episcopi,
& alii Ordinarii serio invigilent, ut eleem-
osynæ, quas occasione Jubilei hujusmo-
di a memoratis Christianis fidelibus pro eorum
devotione sponte conferri, & in Capitulis
Ecclesiarum reperiri contigerit, in causam
Belli contra Turcas prædictos fideliter
erogentur, nec in alium quemcumque
usum divertantur. Non intendimus autem
per presentes super aliqua irregularitate
publica, vel occulta, nota defectu, incapaci-
tate, seu inhabilitate quoquo modo
contracta dispensare, vel aliquam facultatem
tribuere dispensandi, seu habilitandi,
& in pristinum statum restituendi, etiam
in foro conscientie, neque etiam easdem
presentes iis, qui a Nobis, & Apostolica
Sede, vel ab aliquo Prælato, seu Iudice
Ecclesiastico excommunicati, suspensi, in-
terdicti, seu alias in sententias, & censu-
ras incidisse declarati, vel publice denun-
ciati fuerint, nisi intra tempus dictarum
duarum hebdomadarum satisfecerint, aut
cum partibus concordaverint, ullo modo
suffragari posse, aut debere.

Elemosynas
hac occasione
sponte colla-
tas pro Bello
contra Turcas
deservire sta-
tuit.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus,
& Ordinationibus Apostolicis, præsertim
quibus facultas absolvendi in certis tunc
expressis casibus ita Romano Pontifici pro
tempore existenti reservatur, ut nec etiam
similes, vel dissimiles Indulgentiarum,
& facultatum hujusmodi concessiones, nisi
de illis expressa mentio, aut specialis de-
rogatio fiat cuiquam suffragari queant,
necnon regula nostra de non concedendis
Indulgentiis ad instar, ac quorumcumque
Ordinum, & Congregationum, sive In-
stitutum Regularium, etiam juramento,
confirmatione apostolica, vel quavis firmi-
tate alia roboratis, statutis, & consuetu-
dinibus, privilegiis quoque, Indultis, &
Litteris Apostolicis eisdem Ordinibus,
Congregationibus, & Institutis illorumque
personis quomodolibet concessis, appro-
batis, & innovatis. Quibus omnibus,
& singulis, etiam si de illis, eorumque
totis tenoribus specialis, specifica, ex-
pressa, & individua, ac de verbo
ad verbum non autem per clausulas gene-
rales idem importantes mentio, seu qua-

Clausula præ-
servativa.

vis alia expressio habenda, aut aliqua alia
exquisita forma ad hoc servanda foret, il-
lorum omnium, & singulorum tenores
presentibus pro plene, & sufficienter ex-
pressis, ac formam in eis traditam pro
servata habentes hac vice specialiter, no-
minatim, & expresse ad effectum præmis-
sorum derogamus, ceterisque contrariis
quibuscumque.

§. 4. Ut autem presentes nostræ, quæ
ad singula loca deferri non possunt, ad om-
nium notitiam facilius deveniant, volu-
mus, ut earumdem presentium transump-
tis, vel exemplis, etiam impressis, ma-
nu alicujus Notarii publici subscriptis, &
sigillo persone in dignitate Ecclesiastica
constitutæ munitis ubique locorum eadem
prorsus fides habeatur, quæ haberetur ipsis
presentibus si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem
sub Annulo Piscatoris, die 4. Febr. 1669.
Pontificatus nostri Anno II.

Transumptio-
rum fides.

Dat. die 4.
Feb. 1669.
An. II.

XCIV.

Indultum Reipublicæ Ragusina vendendi
Capitalia locorum piorum Ragusina. in
Civitate Neapolitan. fundat. ad effectum
Domos construendi in Civit. Ragusina.

Ex Regest. in
Secret. Brev.

Ven. Fratri Archiepiscopo Ragusina.

CLEMENS PAPA NONUS
Ven. Frater salutem, & Apostolicam
benedictionem.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dile-
cti filii Magistratus Reipublicæ
Ragusina, quod cum super redditibus Re-
giis fundata reperiantur in Civitate Nea-
politana multa capitalia pecuniarum ad va-
ria loca pia Civitatis Ragusina legitime
spectantia quorum fructus propter nota-
bilem reddituum pro eorum fundo assignato-
rum deteriorationem notabiliter diminuti
existunt, & probabiliter timeatur, ne ma-
jorem in futurum diminutionem patiantur
in dicta vero Civitate Ragusina, utiliter im-
pendi possint dicta Capitalia in constructio-
nem Domorum: Ipsi exponentes legitimis
dictorum locorum piorum Administrato-
ribus licentiam vendendi eadem Capitalia
seu eorum fructus ad vitam, vel ad aliud
tempus mediante pretio, prout magis ex-
pedire videbitur obligandi, & hypothecan-
di, pecuniasque inde proventuras in fabri-
cam Domorum in præfata Civitate Ragusi-
na construendarum convertendi, & ero-
gandi a Nobis concedi, ac onera pia a Te-
statoribus, seu piis largitoribus super Ca-
pitalibus hujusmodi injuncta, in Domos, ut
præfertur, construendas transferri pluri-
mum desiderant. Nobis propterea humili-
ter supplicari fecerunt, ut in præmissis op-
portune providere, & ut infra indulgere de
benignitate Apostolica dignaremur.

Supplicatio

§. 2. Nos igitur dictos Exponentes specia-
libus favoribus, & gratis prosequi volentes,

Concedit Pon-
tix ut in ru-
brica.

lentes, & eorum singulares personas a qui-
busvis excommunicationis, suspensionis,
& interdicti, aliisque Ecclesiasticis senti-
entiis, censuris, & poenis a jure, vel ab ho-
mine quavis occasione, vel causa latis, si
quibus quomodolibet innodate existunt ad
effectum presentium dumtaxat consequen-
dum harum serie absolventes, & absolutas
fore censentes; ac quarumcumque dispo-
sitionum Testatorum, seu piorum largito-
rum præfatorum tenores, presentibus pro
plene, & sufficienter expressis, & insertis
habentes, hujusmodi supplicationibus in-
clinati, de Venerabilium Fratrum nostro-
rum S. R. E. Cardinalium Concilii Triden-
tini Interpretum consilio, fraternitati tue
per presentes committimus, & mandamus
ut veris existentibus narratis legitimis præ-
fatorum locorum piorum Administratori-
bus memorata Capitalia, justis respective
prætiis, ac meliori qua fieri poterit condi-
tione in perpetuum, sive ad emptorum,
vitam, aut aliud tempus prout magis expe-
dire in Domino existimaveris, vendendi,
& alienandi, seu illa, eorumque fructus
obligandi, & hypothecandi, necnon pecu-
nias inde proventuras in Fabricam Domo-
rum in dicta Civitate Ragusina, ut præfer-
tur construendarum, & non in alios usus
integre convertendi, & erogandi licentiam
& facultatem auctoritate nostra Apostolica
pro tuo arbitrio, & conscientia gratis im-
pertiaris: Ac onera pia eisdem Capitalibus
respective injuncta in Domos, ut præmit-
tuntur, construendas eadem auctoritate trans-
feras, & transportes.

Contrarius
deogat.

Dat. die 4.
Feb. 1669.
An. II.

Ex Regest. in
Secret. Brev.

XC V.

Licentia Religiosis Monasteriorum Palati-
natus Superioris solvendi 80. millium
Florenorum in extinctionem debitorum
Ecclesiæ Ratisbonen.

CLEMENS PAPA NONUS

Ad futuram rei memoriam.

Supplicatio

§. 1. Alias pro parte dilecti filii Nobi-
lis viri Ferdinandi Mariæ Bava-
riæ Ducis S. R. E. Principis Electoris No-
Bull. Rom. Tom. VI. Par. VI.

bis exposito, quod cum Monasteria de Rei-
chenbach, de Endorff, de Weissenhoc, &
de Michelselt virorum Ordinis S. Benedi-
cti ac de Walderbach, & de Walfassen.
etiam virorum, & de Selingenpont mulie-
rum Ordinis Cisterciensis, necnon de Schontal
sive Vallis speciosa virorum Ordinis
Eremitarum S. Augustini ac de Speisart
etiam virorum Ordinis Præmonstraten., &
de Gnaderbeg nuncupata Monialium Or-
dinis Sanctæ Brigittæ Ratisbonen., Bamberg-
gen., & Eistetten. Dioecesum respective in
Palatinatu Superiori existentia cum omni-
bus eorum bonis, pertinentiis, & juribus
dudum ab hæreticis occupata, & tamdiu
detenta fuissent, donec a clara memoria
Ferdinando II. dum vixit Romanorum Re-
ge Illustri in Imperatorem electo opera-
præcipue, ope, consilio, & fortitudine bel-
lica bon. mem. Maximiliani dum vixit
etiam Bavarie Ducis S. R. I. Principis Elec-
toris ipsius Ferdinandi Mariæ Ducis genito-
ris ab illorum manibus vindicata, & re-
cuperata fuerant; Idem Ferdinandus Maria
Dux ad Catholicam Religionem in dicto
Palatinatu, qui a memorato Ferdinando
Rege eidem Maximiliano Duci cæsus, &
traditus fuerat, & in cujus possessione dic-
tus Ferdinandus Maria Dux uti ipsius Ma-
ximiliani Ducis hæres, & Successor exi-
stebat stabilendam, atque augendam plu-
rimum conferre posse existimabat, si præ-
dicta octo virorum Monasteria Monachis,
ac Canonicis Regularibus, & Fratribus re-
spective dictorum Ordinum; Reliqua vero
duo Monialium Monasteria in erectionem
novi Monasterii pariter Monialium in Op-
pido Civitate nuncupato Amberge facien-
dam respective traderentur, tribuerentur,
& assignarentur: Nos supplicationibus ip-
sius Ferdinandi Mariæ Ducis Nobis super
hoc humiliter porrectis inclinati, de Cong-
regationis a Nobis super hoc negotio spe-
cialiter deputatæ Consilio, eidem Ferdi-
nando Mariæ Duci benigne indulgimus, ut
nostra, & Sedis Apostolicæ auctoritate Mo-
nasteria prædicta respective cum omnibus,
& singulis illorum bonis, membris, perti-
nentiis, redditibus, & juribus universis si-
cut præmittitur perpetuo tradere, tribue-
re, & assignare, cum interventu tamen,
& assensu dilecti filii nostri, & Sedis præ-
dictæ Nuncii apud Charissimum in Christo
filium nostrum Leopoldum eorumdem
Romanorum Regem Illustrum in Impera-
torem Electum pro tempore residentis, vel
alterius Ecclesiasticæ personæ ab eodem
Nuncio deputandæ posset, & valeret, nul-
lo tamen sibi desuper acquisito, aut refer-
vato jure patronatus, aut alio quocum-
que jure, ac salva remanente Conventui
Fratrum Ordinis Sancti Francisci de Paula
Minimorum nuncupatorum in Oppido Ci-
vitate nuncupato Neoburgi existentium,
pro eorum alimentis portione bonorum,
seu reddituum dicti Monasterii de Reichen-
bach penes ipsos existente, quam portio-
nem eisdem fratribus concessimus, & ab
eis retineri volumus, donec de æquiva-
lenti

Alia Consti-
tutione pro-
visum fuerat
indigentibus
curis Ecclesie
Ratisbonen.

lenti annuo redditu, & aequo opportuno provifum illis foret.

§.2. Volentes inter cetera tunc in humanis agentem Guidobaldum S.R.E. dum vixit Cardinalem de Thun nuncupatum. Ecclesiae Ratisbonen. ex concessione, & dispensatione apostolica Praesulem accipere per triennium de manu praedictorum Monachorum, & Canonicorum Regularium, & Fratrum Eremitarum Ordinis S. Augustini respective dimidiam partem annuorum fructuum ex praedictorum octo Monasteriorum virorum bonis proventurorum, ut in extinctionem debitorum ejusdem Ecclesiae Ratisbonen. cum interventu, & assensu dilectorum filiorum Capituli, & Canoniorum ipsius Ecclesiae, & non in alio usus converteretur, & alias cum diversis declarationibus, facultatibus, ordinationibus, expressionibus, clausulis, & decretis, prout uberius continetur in nostris desuper in simili forma Brevis expeditis literis tenoris, qui sequitur videlicet, a tergo: Dilecto filio nobili viro Ferdinando Mariae Bavariae Duci S.R.L. Principis Electoris; in tus vero: Clemens Papa IX. Dilecti filii nobilis vir salutem, & apostolicam benedictionem Sacrosancti Apostolatus &c., reliqua, ut in suo loco sub die 24. Aug. 1667. Anno Primo.

Nunc aliter providetur in dignitate praedicta.

§.3. Cum autem sicut pro parte tam bon. mem. Guidobaldi Cardinalis, & Praesulis praedicti, quam dicti Ferdinandi Mariae Ducis conjunctim Nobis subinde expositum fuit, longe magis expediat tam Ecclesiae Ratisbonen., quam octo Monasteriis virorum supra dictis, ut loco dimidiae partis fructuum eorumdem Monasteriorum extinctioni eris alieni, quo eadem Ecclesia Ratisbonen. obstricta est, ad triennium, ut praefertur, applicata summa octoginta millium florenorum moneta illarum partium a Monachis, ac Canonicis Regularibus, & Fratribus respective ipsorum octo Monasteriorum praefertur, atque ita difficultates, & dispendia liquidationis, & distractionis eorumdem Fratrum evitentur: Hinc est, quod Nos, qui id ipsum ex aliis quoque personis fide dignis, & rerum hujusmodi peritis cognovimus, levamento, atque utilitati tam Ecclesiae Ratisbonen., quam octo Monasteriorum praedictorum quantum Nobis ex alto conceditur providere cupientes, memoratis Monachis, & Canonicis Regularibus, & Fratribus eorumdem octo Monasteriorum, ut vice, & loco dimidiae partis fructuum ipsorum Monasteriorum, quae in extinctionem debitorum dictae Ecclesiae Ratisbonen. triennio durante juxta dispositionem praesentiarum nostrarum literarum converti deberet, quamprimum summam octoginta millium scutorum dictae monetae, nempe ratas quique partes, sive portiones summae hujusmodi pro modo fructuum, & reddituum uniuscujusque ex iisdem octo Monasteriis a praedicto Nuncio determinandas, vel approbandas Creditoribus supra dictae Ecclesiae Ratisbonen. a Ven. Fratre moder-

no Episcopo Ratisbonen. designandas in extinctionem, & dissolutionem debitorum ipsius Ecclesiae cum interventu, & consensu Capituli, & Canoniorum ejusdem Ecclesiae Ratisbonen. realiter, & cum effectu praestare, & solvere, sive loco solutionis hujusmodi tot debita Ecclesiae praedictae Ratisbonen. ab eisdem Episcopo, ac Capitulo, & Canonicis designanda, creditorum ad id accedente consensu, in se, & dicta Monasteria respective suscipere, ac etiam ad computum, & in diminutionem dictae summae octoginta millium Florenorum bona stabilia etiam jurisdictionalia ad eadem Monasteria, seu eorum aliquod respective spectantia, dummodo tamen ipsa bona stabilia summam decem millium Florenorum parium in totum non excedant, praevia dicti Nuncii licentia eidem Ecclesiae Ratisbonen. cedere, ac in ipsam Ecclesiam transferre, & transportare; ut autem pecuniae eis respective ad solvendas portiones, unumquodque ex dictis Monasteriis contingentes suppetant, pecunias ad census, seu aliud interesse, vel interusurium licitum, super bonis ipsorum Monasteriorum respective prout opus fuerit, de pari ejusdem Nuncii licentia capere, illasque in solutionem portionum contingentium hujusmodi, & non in alios usus convertere, & erogare, libere, & licite possint, & valeant, itaut per praemissa, quae saltem intra quinquennium proximum absolvi volumus ab onere, & obligatione praestandi triennio durante praedictam dimidiam partem fructuum penitus, & omnino liberi, atque immunes remaneant, salva tamen in reliquis omnibus, & singulis, ac in suo robore remanente praesentiarum literarum dispositione, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus, & indulgemus.

§.4. Non obstantibus quoad ea, quae praesentibus adversantur praesentibus nostris literis, ac rec. mem. Pauli II., & aliorum Romanorum Pontificum Praedecessorum pariter nostrorum de rebus Ecclesiae non alienandis, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon omnibus, & singulis illis, quae in literis praesentibus volumus non obitare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 16. Febr. 1669. Pontificatus nostri Anno II.

Derogatio contrationum

Dat. die 16. Febr. 1669. An. II.

XCVI.

Commissio Episcopo Ferentin. contra Interfectores Episcopi Nicoteren.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Ven. Fratri moderno Episcopo Ferentin.

CLEMENS PAPA NONUS

Ven. Frater salutem, & apostolicam benedictionem.

§.1. CUM sicut ad aures nostras nuper non sine gravissima animi nostri mole-

Motiva.

molestia pervenit, nonnulli iniquitatis filii bon. mem. Joannem Franciscum ultimum dum vixit Episcopum Nicoteren. in ipsa sua Civitate Nicoteren. detestabili immanitate trucidaverint: Nos, qui in supremo Justitiae Throno a Domino constituti sumus horrendum, atque deplorandum facinus hujusmodi minime impunitum remanere, sed condignis poenis, & animadversionibus per Sacros Canones, & Conciliorum Decreta, ac Constitutiones Apostolicas inflictis, & promulgatis puniri, coerceri, & vindicari volentes, ac de tua fide, prudentia, diligentia, integritate, dexteritate, & vigilantia, ac omni fortitudine, & Dei ejusque Ministrorum honoris zelo plurimum in Domino confisi, motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris deque Apostolica potestatis plenitudine, fraternitati tuae per praesentes committimus, & mandamus, ut ad praedictam Civitatem Nicoteren., vel alio prout opportunius, atque tutius fore judicaveris, quamprimum te conferas, ac contra omnes, & singulos, qui detestandum homicidium hujusmodi in persona dicti Joannis Francisci Episcopi commiserint, aut illud fieri mandaverint, seu factum ab aliis ratum habuerint, aut socii in hoc fuerint faventium, seu consilium, auxilium, vel favorem quoquo modo etiam indirecte illis dederunt, vel illos scienter defenderrunt, aut receptorunt, & generaliter contra quoscumque tam execrandi sceleris quomodolibet reos, complices, & culpabiles cujuscumque status, gradus, conditionis, qualitatis, ordinis, praesentiae, & dignitatis sive Ecclesiasticae, sive secularis, etiam si specifica, & individua mentione, & expressione digni sint super praemissis diligentes Informationes capias, processus formes, Testes quoscumque examines, & ad testificandum quascumque personas, cujuscumque status, gradus, conditionis, ordinis, & praesentiae existant, etiam Ecclesiasticas, seculares, & regulares etiam quomodolibet exemptas, per censuras Ecclesiasticas, & alias opportunis juris, & facti remediis cogas, & compellas, causamque, & causas super iisdem praemissis tam ex officio, quam ad instantiam Promotoris Fiscalis a Te deputan., seu alias quomodolibet movendas cum earum annexis, & connexis, ac dependentibus, & emergentibus quibuslibet, totoque negotio principali usque ad declarationem incurfus in anathematis, & excommunicationis majoris, aliasque poenas quascumque a Sacris Canonibus, Conciliorum Generalium Decretis, & Constitutionibus Apostolicis, & speciatim illa, quotannis die Coenae Domini legi solita inflictas, ac sententiam, seu sententias, illiusque, seu illarum omnimodam executionem inclusive cognoscas, & prout juris fuerit decidas, & terminas, etiam omni, & quacumque appellatione, recurfu, reclamatione, nullitate etiam ex tribus dictione, praetensa injuria allegatione, in integrum restitutione, aliisque qui-

Committere Episcopo Ferentin. pro- cessus ut in tribus.

busvis juris remediis ordinariis, & extraordinariis penitus, & omnino remotis. Nos enim tibi contra praedictos, aliosque omnes & singulos in praemissis, seu eorum occasione quomodolibet culpabiles, summarie, simpliciter, & de plano sine strepitu, & figura judicii, sola facti veritate inspecta, ac omisiss omnibus, & singulis juris, & styli Curiae solemnitatibus, procedendi, illosque omnes, & singulos etiam per Edictum publicum confito tibi etiam summarie de non tuto accessu, seu alias arbitrio tuo citandi, & monendi, ac in jus, & iudicium etiam extra suas respective Provincias, & Dioeceses, ac ultra duas, & plures dietas, evocandi, illisque, ac iudiciis quibuslibet toties, quoties tibi videbitur inhibendi, reos, & culpabiles praedictos, & eorum quemlibet, necnon etiam testes si forsan ad Ecclesias, & loca immunitate, Ecclesiastica gaudentia confugerint, inde pro reverentia Ecclesiae debita quanto minori fieri poterit cum scandalo, extrahen. seu extrahi, & carceribus mancipari faciendi, ac Curiae seculari etiam praevia de gradatione per te, seu tuo mandato facienda prout juris fuerit tradendi, ipsos reos, & culpabiles repertos publice anathematizatos, & excommunicatos nunciandi, ac a Ven. Fratribus Episcopis, & Archiepiscopis, aliisque locorum Ordinariis in universo Regno Siciliae citra Pharum constitutis per suarum respective Civitatum, Dioecesium, Districtuum, & locorum Ecclesias singulis diebus Dominicis, & Festivis, dum in eis major Populi multitudo ad divina convenerit, pulsatis campanis, & candelis accensis, quousque condignam satisfactionem praestiterint, ac absolutionis beneficium a Nobis, seu Romano Pontifice pro tempore existente dumtaxat se obtinuisse docuerint, nunciari faciendi, quodque ab excommunicationis, & anathematis hujusmodi sententis, nemo praedictorum, reorum, & culpabilium per alium, quam per Nos, seu Romanum Pontificem pro tempore existentem (praeterquam in mortis articulo constitutus, & tunc non nisi praestito juramento de stando mandatis Ecclesiae, ac de satisfaciendo, atque cum reincidentia eo ipso quo convalescit) etiam vigore, seu praetextu Jubilaei Anni Sancti, Cruciae Sanctae, aliorumque Jubilaeorum, Indulgentiarum, Indultorum, facultatum, & privilegiorum, etiam speciali expressione dignorum quibuscumque Ecclesiasticis secularibus, & quorumvis Ordinum etiam Mendicantium, ac Militiarum regularibus, etiam Episcopali, vel alia majori dignitate praeditis, ipsisque Ordinibus, & eorum Monasteriis, Conventibus, & Domibus, ac Capitulis, Collegiis, Confraternitatibus, Congregationibus, Hospitalibus, etiam Sancti Joannis Hierosolymitani, & locis piis, necnon laicis etiam Regali, Ducali, & alia mundana praecellencia fulgentibus per Nos, & Romanos Pontifices Praedecessores nostros, Sedemque Apostolicam, ac cujusvis Concilii Decreta, verbo, literis, aut

aut alia quacumque scriptura in genere, vel in specie concessorum, ac etiam pleris innovatorum, concedendorumque, & innovandorum absolvi ullatenus possit, declarandi, & decernendi, aliaque omnia, & singula in praemissis necessaria quomodolibet, & opportuna dicendi, agendi, faciendi, gerendi, mandandi, & exequendi, etiam si talia forent, quae magis speciale, quam praesentibus sit expressa imo, & individuum requirerent commissionem, ita ut nullam praemissorum omnium, & singulorum a Te in executione praesentium quomodolibet gerendorum ratione, vel occasione, irregularitatem, aut aliam notam, vel impedimentum quodcumque incurras plenissimam, amplissimam, & omnimodam facultatem, potestatem, & auctoritatem harum serie tribuimus, & impartimur.

Derogatio contrariorum

§.2. Non obstantibus fel. rec. Bonifacii Papae VIII. Praedecessoris nostri de una, & Concilii generalis de duabus dietis, aliisque Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus quibuscumque, necnon quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegii quoque, indultis, & Literis Apostolicis generalibus, vel specialibus supradictis, vel eorum alicui, seu quibusvis aliis cujusvis status, gradus, ordinis, praeminentiae, & dignitatis Ecclesiasticae, vel mundanae fuerint, sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis, aliisque efficacioribus, ac insolitis clausulis, & decretis etiam irritantibus, etiam consistorialiter, ac motu, scientia, & potestatis plenitudine patribus, & alias quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, confirmatis, & pluries innovatis, etiam si in eis caveatur expresse, quod sic privilegiati excommunicari, & anathematizari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de privilegiis, & indultis hujusmodi, ac de ordinibus, locis, nominibus propriis, cognominibus, & dignitatibus eorum mentionem. Quibus omnibus, & singulis etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quavis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi acti de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita pro servata habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, et derogatum esse volumus, & decernimus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die vi-

gesima Februarii 1669. Pontificatus nostri Anno II.

AN. CH. 1669.

XCVII.

Declaratio incursum in excommunicationem, & anathema, aliasque poenas canonicas, ac Excommunicationis, & Anathematizationis interfectorum bon. mem. Joan. Francisci Episcopi Nicoterensis.

CLEMENS PAPA NONUS

Ad futuram rei memoriam.

CUM sicut non sine gravi animi nostri perturbatione accepimus, bon. mem. Joannes Franciscus, dum vixit Episcopus Nicoterensis in ipsa sua Civitate Nicoterensi a nonnullis iniquitatis filiis, qui ad praesens ignorantur, nefarie interfectus fuerit.

§.1. Nos crimen adeo horrendum, & quod nos sui atrocitate confudit, poenis per Sacros Canones, Conciliorum Generalium decreta, & Constitutiones Apostolicas inflictis, & promulgatis pro officii nostri debito vindicare, & punire volentes: Ex parte Dei Omnipotentis Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, auctoritate quoque Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli ac nostra omnes, & singulos, qui homicidium in persona dicti Joannis Francisci Episcopi commiserunt, aut illud fieri mandaverunt, seu factum ab aliis ratum habuerunt, vel socii in hoc fuerunt facientium, aut consilium, auxilium, vel favorem illis dederunt, seu illos scienter defenserunt, vel receptaverunt, & generaliter quoscumque tam detestandi sceleris quomodolibet complices, & culpabiles, cujuscumque status, gradus, conditionis, qualitatis, ordinis, praeminentiae, & dignitatis, sive Ecclesiasticae, sive secularis, etiam specialem, & individuum expressio nem requirentis existant, anathematis, & excommunicationis majoris, aliasque poenas quascumque a Sacris Canonibus, Conciliorum Generalium decretis, & Constitutionibus Apostolicis, & speciatim illa quotannis die Ccenae Domini legi solita inflictas, eo ipso damnabiliter incurrisse tenore praesentium declaramus, ipsosque, & eorum quemlibet, & quoscumque scientiam de praedictis delinquentibus habentes, & non revelantes anathematizamus, & excommunicamus, ac anathematizatos, & excommunicatos publicamus, & nunciamus.

§.2. Ab excommunicationis autem, & anathematis hujusmodi sententia nemo praedictorum per alium, quam Nos, & Romanum Pontificem pro tempore existentem (praeterquam mortis in articulo constitutus, nec etiam tunc nisi de stando Ecclesiae mandatis, & satisfaciendo cautione praestita, atque cum reincidentia eo ipso quod convaluerit) etiam vigore, seu praetextu Jubilaei Anni Sancti, Cruciate Sanctae,

Publicatio ex communicationis contra interfectores Episcopi Nicoterensis.

Reservatio ab solutionis auctoritate praedictis.

etiam, aliorumque Jubilaeorum, Indulgentiarum, indultorum, facultatum, & privilegiorum, etiam speciali expressione dignorum, quibuscumque Ecclesiasticis, Secularibus, & quorumvis Ordinum, etiam Mendicantium, ac Militiarum regularibus, etiam Episcopali, vel alia majori dignitate praeditis, ipsisque Ordinibus, & eorum Monasteriis, Conventibus, & Domibus, ac Capitulis, Collegiis, Confraternitatibus, Congregationibus, Hospitalibus, etiam S. Joannis Hierosolymitani, & Locis Piis, necnon Laicis, etiam Regali, Ducali, & alia mundana praecellentia fulgentibus, per Nos, & Sedem Apostolicam, ac cujusvis Concilii decreta verbo, literis, aut alia quacumque scriptura in genere, vel in specie concessorum, & etiam pluries innovatorum, ac concedendorum, & innovandorum, absolvi possit.

§.3. Et quia eo major erit ipsorum confusio, quo sua fuerit culpa patentior, quousque dignam satisfactionem praestiterint, & absolutionis beneficium, ut supra se obtinuisse docuerint, omnibus, & singulis Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, & locorum Ordinariis ubilibet constitutis per eandem praesentes committimus, & in virtute sanctae obedientiae districte praecipiendo mandamus, ut per se, vel per alium, seu alios per omnes Civitatum, & Dioecesium suarum Ecclesias quibuslibet diebus Dominicis, & Festivis, dum in eis major populi multitudo ad divina convenerit, pulsatis campanis, & candelis accensis, praedictos sic excommunicatos, & anathematizatos solenniter publicent, seu publicari curent, & faciant.

§.4. Quod si forte aliqui contra tenorem praesentium talibus excommunicatione, & anathemate illaqueatis, vel eorum alicui absolutionis beneficium impendere de facto praesumpserint, eos excommunicationis sententia innodamus, gravius contra eos spiritualiter, & temporaliter, prout expedire noverimus, proceduri.

§.5. Decernentes praesentes literas, etiam ex eo quod praedicti, & quicumque alii in praemissis interesse habentes, seu habere quomodolibet pratendentes, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, & auditi fuerint, de subreptionis, & obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, aut alio quovis, quantumvis substantiali defectu, vel ex quacumque alia causa, occasione, colore, praetextu, & capite, etiam in corpore juris clauso, notari, impugnari, invalidari, redargui, seu rescindi, aut ad terminos juris reduci, aut adversus illas a peritiois oris, restitutionis in integrum, vel aliud quodcumque juris, facti, vel gratiae remedium impetrari, aut etiam motu proprio concessio quempiam in iudicio, vel extra illud uti, seu se juvare nullo unquam tempore posse: Sicque, & non aliter in praemissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam eausarum Palatii Apostolici Auditorum, ac S. R. E. Cardinales, etiam de la-

Clausula sublata, & Decretum irritans.

tere Legatos, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & definiti debere, ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.6. Non obstantibus quibusvis Apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, & synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon quibuscumque, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, ac praescriptionibus quantumcumque longissimis, & immemorabilibus, privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis generalibus, vel specialibus supradictis, vel eorum alicui, seu quibusvis aliis cujuscumque ordinis, status, gradus, conditionis, dignitatis, & praeminentiae fuerint, etiam si ut praemittitur, Pontificali, Regali, Ducali, seu quavis alia ecclesiastica, & mundana praefulgeant dignitate, a Sede praedicta ex quacumque causa, etiam per viam contractus, & remunerationis, etiam intuitu, & contemplatione Regum, Ducum, Rerumpublicarum, & aliorum quorumcumque, ac sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis in genere, vel in specie, etiam motu proprio, ac etiam consistorialiter, & alias in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis, etiam continentibus quod excommunicari, & anathematizari non possint per literas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de privilegiis, indulgentiis, & indultis hujusmodi, ac de ordinibus, locis, nominibus propriis, cognominibus, & dignitatibus eorum mentionem. Quibus omnibus, & singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quavis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum infererentur, praesentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ac derogatum esse decernimus, & volumus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Derogatio contrariorum

Datum Romae apud S. Sabinam, sub Annulo Piscatoris, die 23. Februarii 1669, Pontificatus nostri Anno II.

Dat. die 23. Feb. 1669. An. II.

Ex Regest. in
Secret. Brev.

Indultum Reginae Magnae Britanniae recitari, & celebrari faciendi Officium, & Missam de Beata Rosa de Sancta Maria in Cappella sua Regia, in qua Missa de Sedis Apostolicae licentia celebratur.

Charissima in Christo filia nostra Catharina Magnae Britanniae Reginae Illustri.

CLEMENS PAPA NONUS

Charissima in Christo filia nostra salutem, & Apostolicam benedictionem.

Exordium.

EXimia Majestatis tuae in Deum pietas, singulari Orthodoxae fidei zelo, ac erga Nos, & hanc Sanctam Sedem devotioni conjuncta promeretur, ut piis votis tuis ad augendam in Terris Coelestis Regni Incolarum venerationem tendentibus, quantum cum Domino possumus libentissime annuamus.

Alias concessit Pontifex ut de B. Rosa Officium duplex, & Missa celebraretur.

§.1. Alias siquidem Nos apostolica auctoritate indulgimus, ut Serva Dei Rosa de Sancta Maria Virgo Limana Tertii Ordinis S. Dominici Beate nomine nuncuparetur, atque de ea sub ritu duplici recitaretur Officium, & Missa celebraretur de Virgine non Martyre, juxta Rubricas Breviarium, & Missalis Romani singulis annis die 29. Augusti, quae prima est non impedita post diem 24. ejusdem mensis, qua spiritum Creatori reddidit, & alias prout in nostris desuper in simili forma Brevis die 12. Februarii 1668. expeditis literis quarum tenorem praesentibus pro pleno, & sufficienter expresso, & inserto haberi volumus, uberius continetur.

Concedit ut Officium, & Missa de Beata Rosa in Cappella privata recitari possit.

§.2. Cum autem sicut majestatis tuae nomine Nobis nuper expositum fuit, tu Officium, & Missam de eadem Beata Rosa in Cappella tua Regia, in qua Sacrosanctum Missae Sacrificium de Sedis Apostolicae licentia celebratur, quo spirituali tuae consolationi, ac Catholicorum in istis partibus existentium aedificationi consulatur, recitari, & celebrari posse plurimum desideres: Nos piis, atque devotis Majestatis tuae desideriis favorabilem assensum paterno affectu praebere volentes, supplicationibus tuo nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, eidem Majestati tuae, ut Officium, & Missam de memorata Beata Rosa in Cappella tua praefata recitari, & celebrari facere libere, & licite possis, & valeas, servata tamen litterarum nostrarum praefatarum forma, & dispositione, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus, & indulgemus.

Derogat contrariis.

§.3. Non obstantibus omnibus, & singulis illis, quae in eisdem literis nostris volumus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 26. Feb. 1669. An. II.

Datum Romae apud S. Sabinam sub Annulo Piscatoris, die 26. Februarii 1669. Pontificatus nostri Anno II.

Ex Regest. in
Secret. Brev.

Confirmatio Decreti a Generali Ordinis Carmelitarum Discalceatorum editi, quo prohibetur Fratribus Provinciae Januensis, vel in illa morantibus ludus, quem ibi vocant Seminarii sub excommunicationis, aliisque poenis, quarum absolutio summo Pontifici reservatur.

CLEMENS PAPA NONUS

Ad futuram rei memoriam.

EX injuncto Nobis divinitus Apostolicae servitutis officio, Superiorum Regularium Decretis, per quae pravi abusus tollentur, Apostolici muniminis libenter adjungimus firmitatem.

Procuramus.

§.1. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Procurator Generalis Congregationis Italiae Fratrum Ordinis Beatae Mariae de Monte Carmelo Discalceatorum nuncupatorum, quod dilectus filius Praepositus Generalis dictae Congregationis ad instantiam dilecti etiam filii Superioris Provincialis Provinciae Januensis, ejusdem Congregationis ludum, quem ibi vocant Seminarii, Fratribus ejusdem Provinciae, vel in illa morantibus sub diversis respective poenis vetuit per Decretum tenoris, qui sequitur videlicet. Fr. Philippus a Sanctissima Trinitate Praepositus Generalis Carmelitarum Discalceatorum Congregationis Beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo ejusdemque Sanctae Matris Prior.

Supplicatio.

§.1. Cum aliquibus Visitatoribus Generalibus, aliisque Superioribus graviter vetitum fuerit Religiosis nostris Provinciae Januensis, ne aliquis eorum ludat ad ludum, quem ibi vocant Seminarii; Constat nihilominus ab aliquibus coloratus praetextus adduci, quibus Superiores non possint facile contradicere, ex quo oriri possunt scandala, necnon graves transgressiones voti Paupertatis, quibus rationibus ductus R. P. Provincialis dictae Provinciae firmius remedium a Nobis postulari; Nos hujusmodi malis obviare volentes, omnibus Religiosis nostris dictae Provinciae, vel qui in illa morantur, Superioribus, & subditis, Choristis, sive donatis praecipimus in virtute S. obedientiae, & sub praecipito, necnon sub poena excommunicationis late sententiae ipso facto incurrendae; Et Superioribus quidem privationis officiorum, quae habent, & inhabilitatis perpetuae ad eadem, vel alia imposterum habenda, subditis vero choristis privationis vocis activae, & passivae, donatis autem, privationis loci super quibus a solo summo Pontifice absolvi, & dispensari possint, ne aliquis deinceps ad praefatum ludum Seminarii ludat, nec per se, nec per alium, nec pro se, nec pro conventu, vel conventibus, sive pro quacumque persona, etiam speciali expressio. ne digna. Mandamusque Reverendi Patri nostro Procuratori Generali, ut curet, hoc

Prohibet ludum Seminarii.

no.

Decretum confirmatum a Pontifice.

nostrum Decretum a Sanctissimo approbati & auctoritate Apostolica in perpetuum muniti &c. Datum Romae in Conventu nostro Sanctae Mariae de Scala die 19. Febr. 1669. Fr. Philippus a Sanctissima Trinitate Praepositus Generalis.

§.2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, dictus Procurator Generalis decretum hujusmodi, quo firmius subsistat, & servetur exactius, apostolica confirmationis nostrae patrocinio communiti summopere desideret: Nos ipsum Procuratorem Generalem specialibus favoribus, & gratis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti aliisque Ecclesiasticis sententis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes & absolutum fore censentes supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum praesentium auctoritate Apostolica tenore praesentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adiungimus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervernerint, supplemus.

Decretum irritans.

§.3. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtineri, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inviolabiliter observari; Sicque in praemissis per quoscumque iudices ordin., & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiti debere, ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio antea.

§.4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit Congregationis, & Provinciae hujusmodi, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia, roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores praesentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanentibus ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 1. Mar. 1669. An. II.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die prima Martii 1669, Pontificatus nostri Anno Secundo.

Nonnullae Ordinationes super electione ad Abbatias, & Prioratus Congregationis Monachorum Coelestinatorum.

Ex Regest. in
Secret. Brev.

CLEMENS PAPA NONUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Injunctae Nobis coelitus apostolicae servitutis debitum exigit, ut felici, prosperoque Religiosorum virorum Altissimi obsequiis sub laudabili vitae monasticae jugo mancipatorum regimini, & gubernio quantum Nobis ex alto conceditur providere, satagamus.

Exordium.

§.1. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilect. filius noster Carolus Barberinus S. R. E. Cardinalis Carolus nuncupatus Congregationis Monachorum Coelestinatorum nuncupatorum apud Nos, & Sedem Apostolicam Protector, quod dicta Congregatio distinguitur in quatuor Nationes, seu Quarteria, quarum primo decem Abbatiae, & quinque Prioratus, secundo undecim Abbatiae, & quatuor Prioratus, tertio novem Abbatiae, & unus Prioratus, ac quarto novem Abbatiae, & tres Prioratus respective assignati reperiuntur, ac insuper habet eadem Congregatio Abbatiam S. Mariae in Posterula nuncupatam de Urbe, apud quam residet, eamque gubernat Procurator Generalis ipsius Congregationis, quae Abbatia tanquam communibus omnium quatuor quarteriorum hujusmodi impensis erecta, nulli illorum specialiter annexa existit.

Supplicatio.

§.2. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat progressu temporis irreperit, ut sequitis vacationibus tam Abbatiarum, quam Prioratum Congregationis praefatae, justitia distributiva in electione Monachorum Nationalium uniuscujusque Quarterii, habito respectu ad numerum Abbatiarum, & Prioratum ipsius Quarterii, non fuerit servata: Nobis propterea dictus Carolus Cardinalis, & Protector humiliter supplicavit, ut in praemissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur ipsum Carolum Cardinalem, & Protectorem, specialibus favoribus, & gratis prosequi volentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de nonnullorum Romanae Curiae Praelatorum, quibus negotium hujusmodi commissimus, consilio, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus, ut elegantur tot Abbates, & Priores, ex unoquoque Quarterio, quot sunt Abbatiae, & Prioratus vigore Constitutionum dictae Congregationis assignati unicuique Quarterio. Completo autem numero Abbatum ex unoquoque Quarterio, ut supra, & deficiente aliquo Abbate in quarterio habente Abbatem ultra suum numerum, propter Abbatiam S. Mariae in Posterula Urbis, quae est annexa Procuratori Generali pro tempore, in tali casu eligatur

Annuit Pontifex.

vus Abbas ex Quarterio immediate sequenti, atque si contingat in aliquo Quarterio non reperiri habentes requisita ex Constitutionibus ad hoc, ut in Abbates eligi possint, tunc in Capitulo Generali ipsius Congregationis juxta facultatem ei per Constitutiones attributam, habilitentur aliqui ejusdem Quarterii professione antiquiores ceteris paribus.

Decretum irritans.

§.3. Decernentes easdem presentes literas, semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, plenissime suffragari, & ab iis respective inviolabiliter observari; sicque in premissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariis.

§.4. Non obstantibus premissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit dictae Congregationis, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium premissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores presentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanentibus ad premissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§.5. Volumus autem, ut eorundem presentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio, quam extra illud habeatur, quae ipsis presentibus haberetur, si forent exhibitae, vel ostense.

Dat. die 8. Mar. 1669. An. II.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 8. Martii 1669. Pontificatus nostri Anno II.

CI.

Decretum in quo Conventus Licienfis, Grumi, Ripaldae, & Caldarolae Ordini Fratrum Minorum Conventualium Sancti Francisci, cum omnibus bonis, juribus, & pertinentiis adjudicantur.

CLEMENS PAPA NONUS

Ad futuram rei memoriam.

Procurator.

EX injuncto Nobis caelitus apostolicae servitutis officio Religiosorum virorum statui, quantum cum Domino possumus, salubriter providere cupientes, ac dilectum filium Antonium Latinum ab

Ameria Commissarium, ac Vicarium Generalem Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci Conventualium nuncupatorum specialibus favoribus, & gratis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum presentium tantum consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes.

Suppresso Congr. Fratrum Convent. reform. ab Urbano VIII.

§.1. Supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinatis, de consilio Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Congregationis super statu Regularium deputate, qui literas fel. rec. Urbani Papae VIII. Praedecessoris nostri die 6. Februarii 1626. super extinctione, ac suppressione Congregationis Fratrum Conventualium Reformatorum ejusdem Sancti Francisci emanatas, necnon unas, die 16. Septembris 1667. super transitu Fratrum Minorum Conventualium dicti Ordinis ad praedictos Fratres Reformatos Conventuum, qui in eis post suppressionem remanserant.

§.2. Et alteras nostras in simili forma Brevis novissime expeditas, quibus confirmando Decretum a Congregatione praedictorum Cardinalium editum die 15. Novembris 1668. tribuitur facultas antedictis Fratribus Reformatis degentibus in Conventibus Licienfi & Oppidorum Grumi, Ripaldae, & Caldarolae, qui soli nunc si peresse noscuntur, transeundi ad dictos Fratres Minores Conventuales S. Francisci aut ad quamcumque aliam Religionem parem, vel strictiorem a Sede Apostolica approbatam, in qua benevolos invenerint receptores.

Breve protransito ad aliam Religionem.

§.3. Eisque inhibetur ne de cetero quempiam ex Conventualibus antedictis, vel ex alia Religione, aut ex seculo ad habitum, vel professionem admittant, sub poenis nullitatis actus, & excommunicationis late sententiae, non obstantibus anterioribus nostris literis praedictis, aliaque videnda, & consideranda viderunt, & considerarunt.

§.4. Auctoritate Apostolica tenore presentium decernimus, & declaramus memoratos Conventus Licienfis, Grumi, Ripaldae, & Caldarolae, cum omnibus eorum bonis, juribus, & pertinentiis, sacraque, & profana suppellectili ad praedictum Ordinem Fratrum minorum Conventualium S. Francisci spectante, & pertinere, ejusque Ordinis Superiores per Ordinarios locorum in possessionem Conventuum, ac bonorum huiusmodi esse immittendos.

Terminum duorum mensium ad aliam Religionem transeundi preceptis.

§.5. Fratribus autem Reformatis legitime in eodem Ordine professis, degentibus in dictis quatuor Conventibus per eosdem Ordinarios auctoritate nostra injungi volumus, ut intra terminum duorum mensium transcant ad dictum Ordinem Fratrum Minorum Conventualium, vel ad aliam Religionem parem, vel strictiorem

Penas contrariis.

rem a Sede Apostolica approbatam, in qua, ut supra, invenerint benevolos receptores.

§.6. Quod si neutrum praefiterint, elapso termino per Ordinarios antedictos juris remediis compellantur a memoratis Conventibus discedere, & dimisso Habitu Reformatorum ad Religionem dictorum Fratrum Conventualium transire, ejusque habitum assumere, ut in eo quoad vixerint permanent, nec inde abscedant sub poena apostasia.

Decretum irritans.

§.7. Decernentes pariter easdem presentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari; Sicque in premissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Casuarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane quidquid fecus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§.8. Non obstantibus premissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon omnibus, & singulis illis, quae in literis praedictis concessimus non obstat ceterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 9. Mar. 1669. An. II.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 9. Martii 1669. Pontificatus nostri Anno II.

CII.

Super praecedentia Procuratoris Generalis in concursu aliorum Praelatorum Ordinis Canonicorum Regularium Sancti Salvatoris.

CLEMENS PAPA NONUS

Ad futuram rei memoriam.

Causa Brevis.

EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius Angelus Seravalli Procurator Generalis Congregationis Canonicorum Regularium S. Salvatoris, quod dudum, videlicet anno 1628. tunc in humanis agens Andreas Petracoli Prior Generalis d. Congregationis a fel. rec. Urbano Papa VIII. Praedecessore nostro deputatus Congregationem Generalem eorundem Canonicorum Regularium in Monasterio S. Petri ad Vincula de Urbe ejusdem Congregationis celebravit, in qua Visitatores, aliique Officiales Congregationis huiusmodi electi, & a dilecto filio Magistro Prospero Fagnano in utraque Signatura nostra Referendario, qui eidem Congregationi Generali iussu dicti Urbani Praedecessoris praesidebat, confirmati fuerunt: ac inter alia factum fuit in dicta Congregatione Generali Decretum tenoris sequentis, videlicet.

Procurator Generalis locus post Priorem assignatur.

§.1. Procurator Ordinis, qui pro universa laborat Congregatione, unde titulum Procuratoris Generalis obtinet, in Monasterio S. Petri ad Vincula de Urbe, in

steris Urbis, & extra, locum semper teneat immediate post Priorem.

§.2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, vertente inter dictum Angelum Procuratorem Generalem, ex una, & dilectum pariter filium modernum Abbatem dicti Monasterii S. Petri ad Vincula ex altera partibus lite, seu controversia de, & super praecedentia inter ipsos habenda, praesertim in Monasterio S. Laurentii extra muros ejusdem Congregationis, quam praefatus quidem Angelus Procurator Generalis vigore Decreti praesertiti, dictus vero Abbas in vim Constitutionum ipsius Congregationis auctoritate Apostolica, & usu ipso (ut asseritur) comprobatarum sibi competere respective praetendebat,

§.3. Decretum fuerit a Dieta Candianensi dictae Congregationis, quod praedictus Abbas Monasterii S. Petri ad Vincula manutenendus esset in sua quasi possessione praecedendi dicto Procuratori Generali in dicto Monasterio S. Laurentii extra muros, & ubique in pertinentiis Urbis praefatae, reservato tamen eidem Procuratori Generali jure probandi supradictum Decretum Capitulare fuisse, & esse munitum confirmatione apostolica, itaut ejus sit roboris, & momenti, ut vim habeat derogandi praedictis Constitutionibus praefatae auctoritate, & usu comprobatis, & alias prout in ipso decreto die 26. Aprilis proxime praeteriti in dicta Dieta edito uberius dicitur contineri. Cumque Decreti hujusmodi fundamenta minime subsistant, ac proinde primo dictum Decretum servari debeat, Nobis propterea praefatus Angelus Procurator Generalis humiliter supplicari fecit, ut sibi in premissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Decretum Capitulare confirmatur.

§.4. Nos igitur ipsum Angelum Procuratorem Generalem specialibus favoribus, & gratis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum presentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinatis, de nonnullorum Romanae Curiae Praelatorum super hoc negotio a Nobis specialiter deputatorum, qui partes audierunt, consilio, praesertim Decretum Capitulare anni 1628. auctoritate apostolica tenore presentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adicimus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Decretum irritans.

§.5. Decernentes ipsas presentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac dicto Angelo Procuratori Generali, & aliis, ad quos pro tempore spectabit, plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari; Sicque in premissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Casuarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane quidquid fecus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.